Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

45

moyses dixit: Expectetur sicut pluuia eloquium meum, et descendant sicut ros
uerba mea. Hanc ergo pluuiam dedit mundo Christus in tempore messis.
id est quando gentes colligi oportebat, ut sicut frumentum in horreis
Cap. 13 sic intra ecclesie sinum gentes congregarentur. Filius erat saul unius
anni cum regnare cepisset, duobus autem annis regnauit super israhel. Per anti
cipationem dicit de isboseth filio saul. de quo et in sequentibus ita scrip
D. M. tum est: xl annorum erat isboseth cum regnare cepisset super israhel, et duo
bus annis regnauit. Si ergo a morte heli simul omne tempus conclu
ditur quo samuhel et postea saul israhel rex erant, inueniuntur anni xl
secundum cronicorum fidem usque ad interfectionem saul. Inde patet quod quando
saul secundum hanc computationem regnare cepit filium habuit unius an
ni. hoc est primi anni. qui postea quam ille diem ultimum clausit israhel regnum
duobus annis tenuit donec a latronibus occisus totum regnum simul
ad dauid concessit. Sunt qui uolunt de ipso saul dictum accipere, ut
unius anni fuisset cum regnare cepisset, id est humilis et mansuetus.
secundum id quod psalmista dicit: Si non humiliter sentiebam, sicut ablactatus
super matrem suam. Duobus autem annis regnauerat. id est rite regnum tenuerat
quod in principio regni sui eum fecisse constat. sed postquam per inobedientiam
a domino desertus est et spiritus eius ab eo recessit. licet potestatem tenuerit. iam
non regimen impendere. sed magis tyrannicam uitam ducere uisus est.
Et erant cum saul duo milia in machmas. et in monte bethel. Mille
autem cum ionatha in gabaath beniamin. Machmas huc usque uicus
grandis ostenditur in finibus helie antiquum nomen retinens octo ab ea
milibus distans iuxta uillam rama. et interpretatur humilitas. Gabaath
in tribu beniamin urbs est finees filii eleazar: ubi sepultus est ipse
eleazar. Est autem nunc gabaath uilla in xii^mo lapide eleutheropoleos. ubi
et sepulchrum abacuc prophete ostenditur. Gabaath interpretatur collis
nota patruelis. Bene tria milia israhelitarum electa sunt ad pugnandum contra
phylisteos. quia hi solummodo apti sunt ad spiritalem miliciam. ut pugnent